

528

Lib. IV. Cap. III.

Per, (β) ut subiecto in sit per se. (γ) ut
in sit subiecto quatenus est tale, seu ut Aver-
roes loquitur *lib. 1. post. c. 11.* ut non com-
petat praedictum subiecto propter naturam
aliam, vel, quod idem, ut primum com-
petat huic subiecto, & non prius alii, ut
Themistius loquitur *paraphr. libr. 1. post. c.*
12. e. g. cum dico, *homo est disciplina ca-*
pax, propositio vocatur καθολα, quia praedi-
catum competit omni subiecto & sem-
per, per se, & quatenus est id ipsum, seu
quatenus est homo. Cum vero dico: *ho-*
mo est sentiens, non est καθολα, quia praedi-
catum competit quidem omni subiecto
& semper, ut & per se, non tamen quate-
nus id ipsum, seu non quatenus est homo,
sed propter aliam naturam, nempe *anima-*
lis, homo enim sentiens est, non quatenus
est homo, sed quatenus est animal, neque
homo est primum subiectum illius praedi-
cati, nempe *sentire*, sed primum subie-
ctum est animal. Haec de notis apo-
dicticarum propositionum, quae iuxta Arist.
omnes *εσ* καθολα continentur.

34. Facilis autem datur lapsus circa